

www.e-rara.ch

**Vindiciae vindiciarum Koppianarum, ac proinde etiam actorum
Murensium adversus D.P. Rustenum Heer bibliothecarium San-Blasianum
adornatae**

**Wieland, Johann Baptist
[Muri], 1760**

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ri 134 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24396>

Caput IV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT IV.

Disquiritur, quis fuerit Actorum Murensium Scriptor.

Mons parturiebat, gemitus immanes ciens, eratque in terris maxima expectatio: at ille murem peperit (a).

Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. (b)

Jam paullo majora canamus, clamat diducto ore Denudator, utique rem tanto dignam hiatu nos edocturus: sed quid? si, cum amphora coepit institui, urceus exeat?

Spēctatum admissi, risum teneatis amici? (c)

Ex quo Acta Murensia ē tenebris in lucem prodiere, nemo adhuc dubitavit, quin ā quodam Murensis Asceterii Monacho (quamquam anonymo) conscripta fuerint: nunc verò (nova & inaudita opinio! *ad ostentationem scenæ, gaudentis miraculis utique aptior, quam ad fidem*) persuadere nobis vult Denudator, velut ex machina Deus exortus, Scriptorem hunc Monachum non Murensem, sed San-Blasianum fuisse, nomine quidem Chunonem, & post mortem Ronzelini, de quo hactenus sæpius diximus, sub annum 1145. Muros postulatum Abbatem. *Quid non ingenio voluit natura licere?*

Juraret quis Amalthææ per cornua capræ;
Non aliam cervice Jovis potuisse Minervam
Nascier. (d)

Utrum Denudator fabulam hanc sibi unquam persuaserit, equidem vehementer dubitamus: verba ejus si quis attendat, tam certa res est, *ut pauca forte extent veterum opera, ANO-*

M 2

NYMEI

(a) Phœdrus lib. 4. fab. XXII. (b) Horat. I. ferm. 1. (c) Idem in arte poet. V. 5. (d) Sæctan. ferm. 3.

NYMEI Scripta, quæ tanto rationum pondere atque robore Auctori suo vero ac genuino asserta fuisse videantur (a). Hinc jam operis titulus, jam quoque præfatio, jam demum varia ex præcedentibus capita gloriosum hocce figmentum ceu totidem præcones nunciare debebant. Quid? quod ipsæ etiam novellæ hanc hederam ostentârint? Sed jam ad rem. Sententiam suam sic paucis declarat Denudator (b): *Acta Murenſia conſcripſit Abbas quidam Murenſis, & ille quidem Abbas, qui inde ab anno 1145. ad annum uſque 1166. præfuit; atqui Abbas iſte fuit Chuno ſive Conradus ex Monasterio S. Blaſii poſtulatꝝ: ergo Acta Murenſia conſcripſit Conradus de S. Blaſio.* Quo in diſcurſu duo controverſa ipſemet agnoſcit: primum, an Actorum Collector demum poſt annum 1145. ſcripſerit: alterum, an Abbatiali dignitate præfulſerit. Age! utrumque ex ordine diſcutiamus.

§ I.

I. **A**ctuarius Murenſem demum poſt mortem Ronzelini Abbatis ſcripſiſſe, ut evincat Denudator, complura aſſert argumenta; ſed utique riſu potius, quam reſponſo digna, tantum abeſt, ut ita ſtringant, ut digitum propterea cogamur exerere. Primum eſt, quod, quemadmodum ubi de præcedentibus, ita etiam ubi de hoc Abbate loquitur, particula *ſub* utatur, dicens: *ſub Abbate Ronzelino* (c). Hem potens (ſi ſuperis placet) argumentum! quis enim neſcit, hanc particulam etiam viventium nominibus conjungi, cum tot omnis generis monumenta id teſtentur? Ex ſexcentis aliqua ſaltem excitare libet. Nihil ſolennius in diplomatibus hac formula: *ſcripſi ſub Carlomanno majore domo, ſub Chancharone, ſub Warino, ſub Adalardo,*

(a) L. I. c. XII. § XIV. (b) Ibidem § IX. (c) Ibidem § II.

lardo, sub Uodolrico, sub Erchenmars, sub Piritilone Comite, ut (ne multum evagemur) videre est apud P. Herrgottum (a) ex ejus Tomo secundo hæc extraximus. Eandem formulam in nummis quoque obtinuisse, probat præter alios ille, qui occasione unionis Græcorum cum Latinis Eugenio IV. Pontifice in vulgus spargebatur; quippe ubi legere est: *Græci, Armeni Synodo Florentina cum sede Apostolica SUB EUGENIO IV. anno Christi MCCCCXII. uniti sunt* (b). Hunc loquendi modum ne ipsis quidem veteribus Romanis displicuisse, quando de viventibus agebant, cum ex aliis multis, tum ex hac inscriptione discimus, quæ apud celeberrimum Muratorium reperitur (c) & ita habet: *Mercurio magno de suo tribuit SUB CLAUDIO PRÆSIDE Provinciæ Transpadanæ, Publius Cæcilius Titi Filius, . . . Quinto Cæcilio, & Cneo Pompeio Consulibus, videlicet anno ab Urbe condita 701. Hisce omnibus addere liceat tenorem schedæ præterito seculo cuidam sepulchro ante fores Ecclesiæ nostræ effosso illatæ, quæ ita sonat: Anno MDCLXXIV. cum die decimo septimo, octavo & nono Augusti hæc porticus SUB ABBATE FRIDOLINO (1) esset diminuta: & vero secundum vetusta Monasterii monumenta constat, ante ingressum Ecclesiæ fuisse sepulta corpora D. Richenseæ Fundatoris nostri filie, uxoris Ulrici Comitis de Lenzburg: nec non Wernharrii fratris Richenseæ, cum uxoris suæ Regulindæ, & filii Ottonis corporibus; lapidem sepulchralem, in quo insignia D. D. Comitum de Lenzburg (hic depingebantur illa insignia) reperimus, & sub eodem quatuor (utique prænominatorum) corpora, quæ in querrea area inclusimus, cum ista Syngraphæ ad notitiam Posterorum. Ad cornu Evangelii hujus sepulchri offendimus alia ossa sub alio lapide, sed si-*

ne

(a) Gen. Diplom. T. II. num. I. & seqq. plurimis. (b) Extat Icon hujus nummi apud Claud. Du Molinet in Hist. summ. Pontif. per eorum numismata. (c) Veter. Inscript. Tom. I. Classe V. pag. CCXCII.

(1) Qui ipsissimo illo die 18. obiit.

ne Symbolo, quæ credimus esse D. Burchardi primi Abbatis hujus loci, quæ intacta reliquimus. Acta sunt hæc die trigesimo mensis Augusti SUB ABBATE HIERONYMO TROGER paucis ante diebus electo (I). Ubi cum videat Denudator, particulam sub prima vice defuncto, altera viventi conjungi; facile utique judicabit, quam infirmo talo primum suum argumentum consistat.

II. Alterum inde petit vir perspicacissimus, quod sicuti cum pridem defunctorum Abbatum, ita quoque cum Ronzelini facta narrat Actuarius, annum æræ vulgaris addat; quod (subjungit Denudator (a) ineptum foret, si Abbas adhuc in vivis esset. Pulchra argumentatio! Actuarius tam cum de Udalrico, quam cum de Ronzelino agit, adnotat, quo anno hæc illa gesserint: ergo uti post Udalricum, ita quoque post Ronzelinum scripsit. Triste quærat sinapi, mœstumque cepe commedat, qui hæc audiens a risu sibi temperare vult. Quantum abest, ut cuiquam persuadeas, etiam ineptire illum, qui facta adhuc dum viventis notis chronologicis illustrat? profecto ut vereri sit, ne, quod in hunc coniicis, in te ipsum recidat, tuque aliis potius ineptias, & ita quidem, ut neque Choroebus magis, neque Melitides. Causam vis nôsse? non una in promptu est. Si ineptit, qui viventis facta narrans notas chronologicas addit; ergo tanto quisque ineptior est, quanto accuratior, & vicissim tanto laudabilior, quanto negligentior. Ergo Scriptoribus synchronis accuratis esse non licet. Ergo historias, quas æquævi scripturiunt, luscas, quia oculo suo, quod chronologia est, orbatas esse oportet. Ergo talibus historiis notæ chronologicæ (sed quanto cum periculo erroris, & dispendio tam veritatis, quàm accurationis) demum â posteris

(a) Cit. cap. & parag.

(I) Electus 22. Aug. e. a. Benedictionis munus accepit die 7ma. Octobr. Ita annal. Mur. unde hæc omnia deprompsimus.

ris addendæ sunt: si tamen hi addere possunt, quod synchroni non adnotârunt. Ergo dicendum, quod nummi memoriales (1) qui notas chronologicas referunt, aut mera ineptiæ trophæa sint, aut demum post mortem illorum, quorum facta commendant, cusi fuerint. Ergo quotquot coævus, tot ferè ineptos numerarem scriptores; quippe cum vix unus illorum sit, qui non aliquoties saltem, quo anno hæc illa gesta sint, adnotârit, tametsi, qui ea gessit, adhuc vixerit. Lubet hanc rem nonnullis exemplis illustrare, & talibus quidem exemplis, unde (cum Denudator vim argumenti sui in eo præcipuè collocet, quod Actuarius noster, uti cum v. g. de Udalrico pridem defuncto, ita etiam cum de Ronzelino agit, annum æræ vulgaris addat) unde inquam pateat, scriptores non solum defunctorum, sed & vivorum facta notis chronologicis illustrare solere. Primum ex Cæsare fit. Hic de Orgetorige apud Helvetios longè ditissimo & nobilissimo, sed jam defuncto, agens sic habet (a): *Is M. MESSALA ET M. PISONE COSS. id est, anno U. C. DCXCIII. Regni cupiditate inductus, conjurationem Nobilitatis fecit, & Civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent.* Atqui de se ipso (utique ergo vivo) agens idem Cæsar pari modo tempus accurate signat, cum ait (b): *LUCIO DOMITIO, AP. CLAUDIO COSS. id est, anno U. C. DCC. discedens ab hibernis Cæsar in Italiam, ut quot annis facere consueverat, legatu imperat, . . . ut naves . . . reficiendas curarent.* Alterum exemplum ex Reginone desumimus, qui, uti de Arnulpho Rege Germaniæ pridem defuncto (2) in hæc verba loquitur: *Anno*

(a) De bello Gall. L. I. c. 2. (b) Ibid. L. V. c. 1.

(1) Quales v. g. sunt, quos P. Herrgottus in monum. Austriac. Tom. II. part. II. Tab. XXIX. n. LXXVII. Item Tab. XXX. n. XI. & Tab. XXXII. n. VII. producit. (2) Obiit enim Arnulphus teste ipso Reginone anno 899. cum contra Regino (ut in præfatione, vel potius dedicatione ipse testatur) demum anno 909. scripserit.

Dominicæ Incarnationis DCCCXCIII. Arnolphus cum valido exercitu Longabardorum terminos intravit (a); ita quoque de Ludovico Rege Provinciæ adhuc vivo (1) sic habet: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCIII. Ludovicus Bosonis Filius Berengarium de Italia expulit* (b). Duobus hisce exemplis liceat jam & tertium addere ex Mariano Scoto, qui anno 1086. factis concessit (c). Is, ubi de Henrico III. Imperatore cognomento Nigro jamque pridem defuncto (2) agit, utique non omisit notas chronologicas, cum ait: *Anno 1046. Rex Italiam ingressus, pacifice à Romanis suscipitur* (d): quis vero non eandem prorsus accurationem suspicit, ubi Scriptor hic de Henrico IV. Henrici III. Filio optime adhuc valente (3) sic habet: *Anno 1081. Henricus cum magno exercitu profectus, Romam obsedit* (e)? manet ergo, ex notis chronologicis concludi nullatenus posse, quod is, cujus nomini adduntur, jamjam obierit.

III. Pro tertio argumento, quo evincat, Actuarium demum post mortem Ronzelini scripsisse, assert Denudator hunc locum: *Anno autem Dominicæ Incarnationis MCXXXII. cupiens Abbas Ronzelinus augere sumptum potius sibi subjectorum, egit tum cum consilio fratrum &c.* (f). Scire autem hic ante omnia vellem, quid discriminis inveniat inter locum hunc Actuarii & illum Linturii: *Anno 1514. Ulricus Dux de Wirtembergk volens gravamina terræ in debitis tollere, convocavit suos &c.* (g)? nihil utique omnino; quippe cum nec ovum ovo tam simile sit, ac similia sibi sunt hæc duo loca.

Atqui

(a) Mihi pagina 95. (b) Ibidem p. 99. (c) Dodechinus ad hunc annum (d) Mihi pag. 650. col. 1. (e) pag. 656. col. 1. (f) Loco cit. (g) Mihi pag. 603.

(1) Quippe qui demum año 923. vel ineunte 924. decessit. vid. L'art de verifier les dates &c. pag. 577. (2) Is enim jam anno 1056. obierat, ut ipse Marianus Scotus ad hunc annum consignat. (3) Ut qui demum anno 1106. adeoque viginti annis post ipsummet Scotum defunctus est teste Dodechino ad h. a.

Atqui Linturius hæc scripsit vivente adhuc Ulrico (1): quidni ergo Actuarius similia scribere poterat vivente adhuc Ronzelino? Sed hæc prævie. Quærere nunc liceat, quid ergo citato Actuarii loco insit, quod mortem Ronzelini tam clarè enuntiet, ut Denudator tam fidenter omnis à natura sibi concessi luminis sponfionem faciat, dicens: *Ex hoc loco, NISI ME MEA OMNIA FALLANT, clare intelligitur, Abbatem Ronzelinum Actuarii ætate jam defunctum fuisse?* nempe primo hoc (inquit ille) quod nomen Ronzelini sine addito *hodiernus* vel *noster* vel simili adscribatur. Atqui (ut exemplorum compendium faciam) idipsum etiam in Linturio, & si animum ad loca, quæ numero præcedenti allegavimus, reflectere lubeat, etiam in Mariano Scoto, & Reginone observamus; tametsi Ulricus Dux Wirtembergiæ, de quo Linturius, Henricus IV. Rom. Rex, de quo Scotus, & Ludovicus Rex Provinciæ, de quo Regino agit, certo certius adhuc vixerint, cum Scriptores isti sua opera elucubrarent. Alterum quod in citato Actuarii nostri loco Ronzelinum jam defunctum indicet, sit particula *tum*, qua Scriptor ait: *Anno 8c. cupiens Ronzelinus augere sumptum, egit tum 8c.* Nolo ad hoc quidquam reponere: si nesciat, aut dubitet Denudator, quorsum particula illa *tum* spectet, an scilicet ad nomen *Ronzelinus*, an verò ad verbum *egit*; scio, quid faciat: nempe haud alio facto opus ei est, quàm ut obvium quemque qua vult de classe Tyronem desuper consulat: utique enim is nodum solvet. Hactenus de argumentis, quibus Denudator evincere voluit, Actuarium

N

Muren-

(1) Scripserat enim Linturius, qui anno 1489. Pastorem egerat in Hof Civitate Curiensi, ineunte Sæculo XVI.; cum contra Ulricus III. Dux Wirtembergiæ, de quo hic fermo est, demum medio hoc seculo, scilicet anno 1550. obierit; ut videre est apud Bregizeros in Cedro seu Genealogia Wirtembergica Part. III. p. 11.

Murensem demum post mortem Ronzelini scripsisse: videamus nunc an nihil reperire sit, quod contrarium probet.

IV. Quam accurate Actuarius Murenensis monasterii sui Rectorum inde à Reginboldo primo Præposito ad Abbatem Ronzelinum usque, & successionem, & annos præsidii, & vel abitum vel obitum consignet, nemo ignorat, qui ejus scriptionem vel obiter legerit. *Sub eodem tempore, inquit: nempe sub annum 1026. cum placitum fieret juxta pontem fluvii, qui dicitur Glat, venit illuc Comes Radeboto & accersivit de cella S. Meinradi Abbatem Embricium, & eum rogavit, ut faceret hic monasterium construere, & suos Fratres ad hoc implendum destinaret. Cui cum Abbas assensum præberet, huc destinavit Reginboldum monachum, & ei præcepit, ut ipse Præpositus esset hic. Qui cum monasterium perfecisset pene usque dum dedicari debuisset, defunctus est idibus Julii Heinrichi III. Imperatoris temporibus. Post cujus depositionem Wernharius Comes Filius Radebotonis pergens ad cellam Heremitarum obtinuit ab Abbate Hermannno, ut huc alius Præpositus pro eo mitteretur, id est, Burchardus, qui cum annis septem & aliquid plus huic loco præesset, Idibus Januarii feliciter recessit à seculo: post cujus obitum mansit locus iste duobus annis sine Abbate; quia Wenelo frater nostræ congregationis petiit hoc à Comite, usque dum ipse perficeret claustrum: quod postquam complevit, elegerunt fratres Udalricum Disertinensis monasterii monachum in Abbatem, qui ubi sub nomine Abbatis, quamvis non esset benedictus, jam multis annis præfuit, reversus est in locum suum, id est, Disertinense monasterium: Fratres autem præposuerunt sibi Rupertum (e S. Blasio) ad Priorem, qui cum per triennium hic fecisset in Prioris nomine, jussu sui Abbatis discessit hinc, & rediit in suum claustrum. Post hujus discessum venit huc tunc Luitfridus à cella S. Blasii, qui deinde anno MLXXXVI. in Nati-*

uitate

uitate Domini, id est, II. Kl, Jan. beato fine quieuit. Post cuius depositionem electus est à Fratribus ad Abbatem ipse Rupertus, qui hic ante adventum Luitfridi Abbatis in Prioris nomine fuit. Hic ergo cum per XII. annos istum locum rexisset, dimisit Abbatiam & discessit hinc. Cui ad regimen loci successit Uodalricus istius loci monachus, præfuitque huic loco X. annis & tres menses & totidem ebdomadis, & uno die (a). Hic Anonymus Scriptor Præpositorum atque Abbatum nostrorum catalogum claudit: unde & nos concludimus, quod sub ipso adhuc Ronzelino opus suum compleverit. Si enim demum mortuo hoc Abbate scripsisset; quis dubitet, quin & de ipso adnotasset, quanto tempore præfuerit? Viderit ergo Denudator, quam nullo fundamento nitatur prima ejus propositio, qua Anonymum hunc demum post mortem Ronzelini ad scribendum accessisse contendit: quamquam hoc etiam admisso, non videam, quid lucri ipsi accedat. Cum enim Auctor Actorum sub hoc Abbate jam saltem religiosæ Murensium congregationis membrum fuerit; siquidem (ut nuper probavimus) fuisset oculis viderit, quænam reliquiæ in Altare quoddam ab hoc Abbate restauratum repositæ fuerint (1): immo indicare videatur, se jam a puero in Monasterio Murenfi educatum fuisse, cum alicubi ait: *volumus, ut in palam veniant, quæ nos simplices & pueros hætenus latuerunt*; qua amabo ratione Chuno, qui demum mortuo Ronzelino e. S. Blasio Muros vocatus fuit, eorum Auctor esse possit? Videamus jam, an alterum Denudatoris assertum, nempe quod Actorum auctor Abbas fuerit, melius subsistat.

N 2

§ II.

(a) Vid. Act. Mur. à pag. 11. usque 30.

(1) Scio, quid Denudator opponat; fieri nimirum potuisse, ut Chuno de S. Blasio diu antequam Abbas esset, in Muris versaretur, adeoq; & ipse reliquias illas videret. Sed alter, quem hic excitamus, locus instaurat argumentum. Adde, quod hoc subterfugium tum demum locum haberet, si (quod numquam fiet) Chuonem Actorum auctorem fuisse probaretur. Demus & hoc: quo Vade tu illum San - Blasianum fuisse probas?

§ II.

I. **A**ctorum Murenſium Scriptorem Abbatis dignitate emi-
 nuiffe, ut probet Denudator, tres iterum affert ratio-
 nes: ſed enim quales? *ó Ranunculi leguleii* (exclamare lubet,
 dum eas cogito)

Ut mihi ſæpe

Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus? (a)

Nullus ſim, ſi non omnes & ſingulæ, puræ putæ ſint gerræ,
 merumque ſophiſma, quod Dialectici ab *imperfecta enumeratione*
 vocant. Prima eſt, quod Scriptor iſte identidem operi ſuo
 inſpergat hortatiunculas (b), ſemel etiam præſentes monachos
 injuſtæ poſſeſſionis, anteriores autem injuſtæ emptionis incu-
 ſet (c). Quam valide uſque ſtringunt Adverſarii argumenta?
 ut vix non ſudorem exprimant ſcilicet. Si quilibet monaſticus
 Scriptor, qui operi ſuo hinc inde aliqua interſerit monita,
 Abbas fuiſſe dicendus eſt, vah! quanti proAbbatibus
 habendi erunt, quos adhuc pro privatis habuimus? nolu-
 mus Denudatorem exemplis obruere: ſed ſi forte apud Scri-
 ptoreſ ejuſmodi monaſticos hæc legat: *Pro his cæterisque bene-
 factoribus noſtris inſiſtendum eſt nobis orationi prece inſtantiffima, ne
 aliorum utentes bono peccatorum eorum noſtris ſuperadditis gravem
 accumulemus ſarcinam ſuper capita noſtra; Item: diſcant hinc ſenes
 ac juvenes (confratres) quid voluptas carnalis ſit, niſi deſperatio*
Ec.; ruruſum: *diſcant (hinc Superiores) in corrigendis exceſſibus
 bujus S. Patris ſequi veſtigia Ec.*, demum: *caveant poſteri, ne ali-
 quando deſiderio terrarum ſive reddituum comparandorum Ec per-
 maxime dilapidatione bonorum vel luxurioſe vivendo recidant in uſu-
 ras, Ec incurrant illam maledictionem, quam oculis noſtris vidimus*
Ec.;

(a) Horat. I. Epift. 19. (b) Scilicet. pag. 6. 35. 89. (c) Pag. 66.

Ecce; si, inquam, hæc legat Adversarius, quid judicat? utique (si consequenter loqui velit) quod ab Abbatibus sint scripta: atqui Scriptor, à quo primum ex quatuor hisce locis mutuavimus, simplex tantummodo monachus erat Benignianus; Nicolaus de Montigni, ex quo alterum & tertium locum deprompsimus, simplex tantum Canonicus regularis collegii Viconiensis; alter demum Nicolaus, qui nobis quartum ex hisce locis suppeditat, Prior tantum non Abbas ejusdem Viconiensis Canonice (1): quis ergo ex similibus hortatiunculis, quæ in Actis Murenfibus occurrunt, inferat, earum auctorem Abbatiali dignitate eminuisse? nemo utique unus prudentum; id quod aliunde adhuc ostenditur. Actuarius (inquit Denudator) hinc inde quasdam interferit hortatiunculas: ergo erat Abbas. Qualis hæc conclusio? utique haud multo melior iis, quas paragrapho præcedenti explosimus. Quidni enim & alius quispiam, ne dicam Præpositus, qui auctoritate Abbati parum cedebat; aut Prior, cui proprium est virtutes plantare, vitia eradicare; aut Senex, quibus plerumque quasi infusa est alios cohortandi cupido (a); sed quivis vir pius, & religiosus; quidni, inquam, & talis breve nonnunquam monitum, nedum posteris, quorum tamen in gratiam opus scriptum est, sed etiam præsentibus, quorum fortasse in manus incideret, dare poterat eo tempore, quo, cum major simplicitas, & hoc ipso major probitas vigeret, monere non difficulter licebat, moneri non indignè ferebatur? Valeat ergo Denudatoris argumentum ab hortatiunculis petitum. Culpationes quod attinet, denuntiare hîc debeo, tam falsum esse, quod Actuarius

(a) Juxta illud Horatii dictum de Sene: *castigator censorque minorum*. In arte poet. v. 174.

(1) Chronicon S. Benigni extat apud d'Acherium in spicil. Tom. II. p. 357. Chronicon autem Viconiense ejusque supplementum apud Martene in Thes. veter. Scriptor. Tom. VI. p. 282.

rius noster eo in loco, quem Adversarius hic excitat, præsentem monachos injustæ cujusdam possessionis infimulet, quam quod falsissimum. Prædefunctos utique haud obscurè injustæ emptionis arguit: sed quid tum? ergone dicendum, quod Abbas fuerit? viderit Denudator, ne denuo bene multos Abbates creet, qui adhuc simplices fuere monachi. Quam vehementer Abbates simul & monachos prædefunctos identidem perstringit Joannes Berardus (a) Cas Lauren sis seu Piscariensis ad S. Clementem monasterii chronographus, qui tamen Præpositi tantum officio fungebatur? audi ipsissima ejus verba: *Alienata sunt* (quædam bona) *miseræ pigritia, seu carnali negligentia quibusdam Abbatibus incumbente. Item: incuria quorundam Abbatum & irreligiositate Fratrum ad tantam paupertatem devenit S. Clementis monasterium. Rursum: sed cum ex negligentia quorundam Abbatum Piscariensis Abbatia foret imminuta &c.* Nolumus plura hujusmodi exempla, quæ nobis ad manum sunt, imò ubique occurrunt, proferre: quippe cum omissis exemplis aliunde ostendi possit, quam mire claudicet præsens Adversarii argumentum, seu potius oramentum. Si Historicis non licet æque male ac bene gesta litteris mandare; ergo aut Encomiastas tantum agere (magno equidem cum Reipublicæ tam politicæ quam literariæ detrimento) aut id genus laboris Superioribus relinquere deberent. Frustra etiam illos moneret Tacitus, ne amore quemquam dicant; neque vereantur dicere, quæ sentiunt (b). Frustra deinde ipsis inclamaret Posssevinus, ut, si quæ occurrunt male gesta, ea libere damnent (c). Frustra demum historia Ciceroni *testis temporum* (d) audiret. Sed enim *quis nescit* (quærit idem

(a) Apud Lucam d'Acherium in spicil. veterum Scriptor. Tom. II. pag. 929.

(b) *Incorruptam fidem professis nec amore quisquam, & sine odio dicendus est. Et paulo post: Principatum Divi Nervæ . . . senectuti seposui, . . . ubi sentire, quæ vis, & quæ sentias, dicere licet.* Histor. lib. I. 1. (c) In Apparatu. de Histor. lib. XVI. & sect. I. cap. V. (d) De Oratore. lib. II. 13.

idem vir summus (a) *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis?* Poterat ergo Historiographus Murensis dicere, quod res est; puta, quod anteriores sui aliquid iniustitiae admiserint; tametsi ipse simplex tantum monachus fuerit.

II. Alterum argumentum, quo Scriptorem nostrum Abbatem fuisse probare vult, petit Denudator à nonnullis observatiunculis (ut vocat) oeconomicis, qualis scilicet illa sit, quæ pag. 79. legitur, & ita habet: *Si quæris, quid sit sistir? dictum est, quasi dicatur constitutio, vel firmiter statutum; ipsi enim armentarii secundum suam consuetudinem habent nomina inventa, quibus utuntur; utpote tantum lactis, quod seracium potest fieri, vocant Imi, & octo Imi dicunt sester, adeoque sester nihil est aliud, nisi VIII. seracia, unumquodque autem seracium sequuntur octo casei.* Dignum viro docto & prudente argumentum scilicet. Nam quis sic ratiocinetur: *Scriptor Murensis terminos Armentariorum explicat: ergo fuit Abbas?* Absit ergo, ut hoc nugamentum tussim ravimque creare natum longo dignemur responso. Quærere tantummodo liceat, quid respondendum existimaret Denudator, si quis, casu quo apud scriptorem quemdam San-Blasianum legeret, quantum olei ex medimno nucum pinearum excoquatur; vel quamnam quantitatem carbonum ex una orgya lignorum sperare liceat; vel demum quæ cura adhibenda sit pecoribus; si quis, ajo, hinc inferret, scriptorem hunc non simplicem monachum, sed Abbatem San-Blasianum fuisse; quid Denudator respondendum existimaret? Indignaretur haud dubie hominis dementiam; quia cum nec novum sit, nec rarum, quod in sylva nigra eleæmphoria & carbonaria exerceantur, & (si Berchtoldo Constan-

tienfi

(a) Ibidem 15.

tienſi credimus (a) olim monachi San-Blafiani pecora paſcere conſueverint; abjeſtas ejuſmodi notitias utique præter Abbatem & alii habere, quidni & ad poſteros tranſmittere potuêre. Atqui idipſum fere Denudatori reponimus: quod nimirum apud nos præter Abbatem, utique & alii ſcire (quidni & exponere) potuerint pecuariæ vocabula; utpote qui medios inter pecuarios agebant. *Pecuarios* dixi, ex quorundam ſannionum ore: quamquam non videam, cur quis populares noſtros hanc ob artem rideat.

Beatus ille, qui procul negotiis,
 Ut priſca gens mortalium,
 Paterna rura bobus exercet ſuis,
 Soluſus omni fenore;
 Aut in reducta valle mugientium
 Proſpectat errantes greges,
 Claudenſque textis cratibus lætum pecus,
 Diſtenta ſiccant ubera. (b)

III. Accedimus nunc ad tertium & ultimum argumentum, quo Denudator figmentum ſuum, ut puta quod Scriptor noſter Abbatiali dignitate eminuerit, ſtabilire adnititur. Eſſet illud utique facile præcipuum, ſi ſubſiſteret: Si, inquam, ita, ut prætenditur, verum eſſet, quod Actuarius identidem ſeſe

ipſe
 (a) Verba ejus, lectu plane digna, quia Patrum noſtrorum ſanctitatem nobis ob oculos ponunt, ſunt hæc: *Eo tempore i. e. anno 1083. in regno Teutonicorum tria monaſteria cum ſuis cellulis regularibus diſciplinis inſtituta egregie pollebant; quippe cenobium S. Blaſii in nigra ſilva, & S. Aurelii, quod Hirſaugia dicitur, & S. Salvatoris quod Sceſuſin, id eſt, navium domus dicitur: ad que monaſteria mirabilis multitudo nobilium & prudentium virorum hac tempeſtate in brevi confugit, & depositis armis evangelicam perfectionem ſub regulari diſciplina exequi propoſuit: tanta, inquam, numero; ut ipſa monaſteriorum edificia neceſſario ampliarentur, eoquod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaque monaſteriis nec ipſa exteriora officia per ſeculares, ſed per religioſos fratres adminiſtrantur, & quanto nobiliores erant in ſeculo, tanto ſe contemptibiliſſimis officiis occupari deſiderant; ut, qui quondam erant Comites & Marchiones in ſeculo, nunc in coquina vel piſtrino fratribus ſervire, & porcos eorum in campo paſcere pro ſummiſ deliciis computent. Ibi nempe & porcarii & bubulci præter habitum idem ſunt quod monachi.* Ex codice pergam. Bibl. Mur. (b) Horat. Epod. II.

ipse Abbatem nominet: sed quo loco, vel quibus verbis id ille de se affirmat? nempe duobus in locis, respondet Denudator (a). Primus extat pag. 59., ubi hæc legimus: *Constitutio etiam quedam antiquitus observatur, ut Abbas præstet, quod ad censum pertinet, & Prepositus mansos, & villicus alia minora. Anteriores autem nostri nolebant multa ponere ad censum.* Quem locum Denudator sic exponit: *constitutio quedam antiquitus observatur, ut Abbas præstet, quod pecuniam fœnori dandam attinet; anteriores autem mei nolebant multa ponere ad censum.* Quid de maligna hac expositione tenendum sit, nemo utique non advertit. Quid est *præstare*, quod ad censum pertinet? an *præstare*, quod pecuniam fœnori dandam, an vero quod fœnori datam attinet? haud dubie quod datam non quod dandam; adeoque *censuum curam habere*, minime vero *pecunias elocare*. Saltem negare noluerit Denudator, versum Actuarii sic, ut modo diximus, limitate accipi posse: ergo clariorem proferat oportet, si suam nobis persuadere velit sententiam. Sed eccum illum! extat is pagina 61., ubi Actuarius hunc in modum scribit: *Decima autem ad Walaswil dicitur deputata esse Ecclesie St. Goaris, & adhuc auditum non est, ab ullo ABBATE unquam ANTE NOS ablatam esse inde.* Oportet sane valde idonei videamur Denudatori, quibus pro lubitu illudat. Qui Apostolis dixit: *si persecuti sunt PROPHETAS illos ANTE VOS* &c. (b) & qui cecinit: *ANTE JOVEM nulli subigebant arva COLONI* (c), numquid illi Apostolos Prophetis, Jovem colonis adnumerârunt? cave id affirmes, nisi ad trivialem Grammatices ludum deduci velis. Verba *ante vos*, *ante Jovem* utique hic nihil aliud significant, quam *ante vestra*, *ante Jovis tempora*: quidni ergo & *ante nos*, quod apud

O

Actuarium

(a) § VIII. (b) Sic textus originalis, pro eo, quod vulgata habet: *Prophetas, qui fuerunt ante vos*. Math. c. 5. v. 12. (c) Virgil. Georg. I. v. 125.

Actuarium legimus, interpretari liceat *ante nostra tempora*; ut sensus sit: *Decima ad Walaswil deputata est Ecclesiæ S. Goaris, & auditum non est, quod unquam ab ullo Abbate ANTE NOSTRA TEMPORA inde ablata fuerit?* Si autem hæc interpretatio legitima sit; ergo locus, quem Denudator hic excitat, non evincit, quod Actuarius noster Abbatiali dignitate fulserit: id quod adhuc aliunde cum de hoc, tum de præcedenti loco ostenditur; ita quidem, ut uterque contrarium potius probet. Si Abbas fuisset Actuarius, dixisset utique *anteriores mei & ante me*; non autem *anteriores nostri & ante nos*, id enim (cum hic de se qua Abbate loqueretur) altisonum esset, stylumque saperet curialem, quo eum in scriptione historica uti voluisse eo minus credibile est, quo demissius alibi de se sentit, dicens: *tamen volumus, . . . ut in palam veniant, . . . que NOS SIMPLICES ET PUEROS hactenus latuerunt* (a). Quem locum hic eo lubentius produco, quo validius adversus Denudatorem militat: aut enim me omnia fallunt, aut is ita comparatus est, ut plane evincat, Auctorem Actorum simplicem fuisse monachum: nisi Denudator admittat, Actorum Scriptorem hic nihil aliud de se affirmare, quam quod iisdem fere verbis alius quispiam nostro similis Scriptor de se affirmat, dicens (b): *talia considerantes NOS Divionensis Monasterii A PARVULO habitatores &c.* qua quidem in re nobis non solum non adversabitur, sed etiam consentiet: verum hoc ipso Chunonem suum San-Blasianum Actorum Auctorem negabit. Sed sufficiat nobis Adversarii commentum aliunde refutasse, atque ostendisse: *Imo*. probari non posse, neque quod Actuarius Murensis Abbatiali dignitate eminuerit, neque quod demum post mortem Ronzelini scrip-

(a) Edit. Mur. p. 64. (b) Chron. S. Benigni Divion. apud d'Acheri. Spicil. Tom. II. p. 357.

scripserit: 2^{do}. eo ipso, quod alicubi dicat *anteriores nostri, ante nos*; atque ubi Murensis Monasterii Abbatum successionem, mortem, annosque regiminis recenset, de morte annisque regiminis Ronzelini, quem tamen neque ignorare poterat, neque omisurus fuerat, altum fileat; & simplicem eum monachum fuisse, & adhuc vivente Ronzelino scripsisse; vel certe (cum se *vidisse* dicat reliquias, quæ in altare quoddam à Ronzelino exædificatum inclusæ fuerunt (I) sub hoc Abbate jamjam Monasterii Murensis membrum fuisse; ac proinde (quod ex his omnibus, immo & singulis consequens est) Adversarii sententiam, qua Chunonem post dicti modo Ronzelini mortem è S. Blasio Muros postulatum Abbatem, Actorum Auctorem facit, merum esse luxuriantis ingenii partum, taleque figmentum, quo magis ridiculum hactenus

Neque fictum, neque pictum, neque scriptum in poematis. (a)

IV. Sed ecce adhuc argumentum, quod pro Chunone faciat. Cum sub Abbate Ronzelino (inquit Denudator (b)) studia litterarum neglecta fuerint; sequitur, ut Murenses neminem tunc habuerint huic scriptioni parem: ergo Chuno

O 2

de

(a) Plaut. in *Afinaria*. (b) §. X.

(I) Actuarii versus, ad quem hic respicimus, sic habet: *continentur autem in ipso altari* (quod Abbas Ronzelinus reædificarat) *SICUT EGO IPSE VIDI, & audiui, reliquias S. Dei Genitricis Mariæ &c.* Ex verbo *audiui* infert Denudator L. I. c. IX. § XII. & hic scil. cap. XII. § XVI. quod Scriptor hujus altaris dedicationi non interfuerit; eoquod *alias inepte admodum locutus fuisset*, dicendo: *se vidisse & audivisse, Episcopum reliquias in altari quodam reposuisse; quas enim actiones ipsimet videmus, non opus est, ut ab aliis quoque nobis narrentur.* Sed Denudator falso laborat supposito. Actuarius hic non de actionibus Episcopi loquitur (has enim jamjam enarraverat) sed solum de reliquiis; ut adeo verba *vidi & audiui* ad has, non ad illas spectent, sensusque sit: *vidi reliquias, & audiui, quorum sanctorum sint*, ut consideranti patet; minime vero: *vidi & audiui, quid Episcopus egerit*, quod Denudator fingere semper & fallere assuetus credulis lectoribus persuadere vult. Actiones enim Episcopi (ut diximus) in præcedentibus jam enarraverat Scriptor. Hæc cate II. pi, quorsum spectassent, omissa hic complanare visum est.

de S. Blasio, qui Ronzelino successit, illius Auctor est. Nolumus hic Denudatorem interrogare, unde hunc studiorum neglectum probet; scimus enim, si id ex eo requireremus, litem jam diremtam fore; quia ut nos, ita & ipsum monumenta deficiunt: nolumus etiam dicere, quod eo ipso, quia Acta jamjam sub Ronzelino scripta fuere, pateat, non ita collapsa fuisse apud Murense studia, ut non aliquis saltem honos iis constaret. Demus potius, quod ea revera fuerint neglecta; quid tum? an ideo in numerosa Congregatione ne unus quidem superfuit, qui ea coleret, atque adeo opusculo huic, quod quamquam ineptum non sit, tamen nec virum admodum doctum requirebat, par esset? caveat Denudator, ne, si nimium inferat, eo ipso nihil inferre judicetur. Tam dira utique nulla est grando, quæ non aliquas saltem aristas illæfas rectasque relinquat. At nisi studia litterarum apud Murense ita defecissent, ut ne unum quidem illis ornatum haberent; non fuissent utique Abbatem aliunde accersituri (a). Bene est Rev.^{de} Pater! quod & monachum te & celeberrimæ Abbatiae Capitularem esse aliunde sciamus; quomodo enim alias id de te crederemus, de te, inquam, qui ignoras, an ignorare te fingis, quæ dotes, qui defectus pedo vel aptos faciant vel ineptos? Si Murense, inquis, virum pietate simul & doctrina instructum habuissent, aliunde Abbatem non fuerant advocaturi. Itane vero? ergo fieri non poterat, ut vir qua pietate qua doctrina spectabilis illis equidem esset; sed vel senio jam pene confectus, & hinc non nisi breve hocq; remissum, vel adversa valetudine pressus, & hinc languidum incertumque regimen promittens, aut alio demum impedimento, quorum, si ea modo enarrare liceret, innumera sunt, laborans? Videat ergo Denudator, quo
(etiam si

(a) § XI.

(etiamsi omnes in partes sese vertat) quo, inquam recidat hæc sibi tantopere prædicata, & alioquin speciosa fatis opinio de Actorum Murensum auctore: scilicet

Ut turpiter atrum

Definat in piscem mulier formosa superne. (a)

Poterit etiam ex hætenus dictis colligere, quid tenendum existimemus de clausula illa, quam ad calcem hujus capituli adponit, quæque ita sonat: *atque hæc quidem de vero & sincero Actorum Murensum auctore, quem nobis dudum ignotum, & jamjam vindicatum atque restitutum esse in sinum gaudemus: Adversario præterea gratias habentes non modicas, quod sua aggressionem id effecerit, ut nos pro re nata Auctoris illius res diligentius enucleantes, dignumque patena operculum reperientes, historiam litterario San-Blasianam insigni prorsus accessione locupletatam videamus* (b). Gaudere se, ait hîc festivus homo, & in sinum quidem gaudere: sed quodnam gaudium? utique (quod in proverbio est) *pyrausta gaudium*, quæ ad lucernas advolans ambustis alis concidit. Huic ego gaudio dixi, *quid frustra deciperis?* Gratias deinde habet vir humanissimus, quod Vindex noster sua aggressionem (nam hæc est hominis protervia, ut hunc etiam aggressorem constituat) quod, inquam, Vindex noster ostendendo, Actorum commentaria integro minimum seculo antiquiora esse, ac P. Herrgotto visum; viam ipsi aperuerit, illorum etiam Auctorem detegendi. En igitur fere alterum Simonidem, quem aliquando exclamasse ferunt: *nunc bene navigavi, cum naufragium feci*. Dolendum tantummodo, quod, cum vetus ille verum dixerit, quia post naufragium sapere didicit; novus hic falsum dicat, quia magis de sapere cæpit. Tandem

(a) Horat. in arte poët. v. 4. (b) Pag. 118.

dem Denudator *historiam litterario San - Blasianam insigni prorsus accessione* (quantum suspicatur dum San - Blasianus est, qui nuper, cum Murensis esset, despiciebatur?) *a se locupletatam* grandi bucca jactat. Sed quid si Chuno ille, quem ipse Actorum auctorem constituit, non dico illorum Auctor non fuit (quod aliunde ostendimus) sed ne monachus quidem San - Blasianus? Atqui hoc ipsum est, quod tamdiu negamus, donec Adversarius gravem quemdam Scriptorem producat, qui illud affirmet (1). Dixi: *gravem quemdam Scriptorem*, non purum putumque Bebelium, hominem nuperi seculi, & hunc San - Blasianum monachum (2). Antiqua ab antiquis petimus, dum verum quaerimus: ut adeo non facile credamus, quod scribitur, nisi is, qui scribit, aut coævus vel suppar ipse sit, aut coævum vel supparem alleget. Quam ergo omni ex parte angustatur Adversarius? *hac urget lupus, hac canis*: adeo quidem, ut mirari satis non possimus, qui vir cætera fane doctus ei applaudere voluerit (3): sed enim

It crebra, reditque,
Semper & immeritas mendicat epistola laudes. (a)

CAPUT V.

(a) Sectan. Serm. 3.

(1) Rem gratam nobis faciet Denudator, si eadem opera etiam de Abbatibus *Lutholdo & Rudolpho*, quos Murensibus hactenus indistinctos, ipse & distinguit, & tacentibus altum monumentis Murensibus, itidem e S. Blasio postulatos fuisse contendit, certiora nos edoceat. *Monumenta authentica*, qualia ipse in calce pag. 110. jactat, lucem non verentur, multo minus ullam a nobis contradictionem patientur. (2) Murenses sane hoc solo auctore hactenus steterunt in iis omnibus, quæ de Chunone adhuc circumferuntur. (3) Est is Remigius Ceillierius Superior Flaviniacensis in Lotharingia, ex cujus ad Adversarium epistola quadam responforia, quam hic in fine libri sui II. exhibet, apparet, mendicatum ab eo fuisse, ne desit, quin data occasione in sua *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* (quippe cui ille tum illaborabat) Chunonem de S. Blasio tanquam Actorum Murensium auctorem laudet: quod quidem nihil aliud est, quam fucis suis Patronum, & modum quaerere, quo pluribus speciose imponas. At nempe vinum mucidum indiget hedera.